

Werk

Titel: Dubia De Principiis Philosophiae Recentioris

Autor: Forsskål, Peter

Verlag: Luzac

Ort: Goettingae

Jahr: 1756

Kollektion: vd18.digital

Gattung: Dissertation:phil.

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN641608004

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN641608004>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=641608004>

LOG Id: LOG_0006

LOG Titel: Caput III. Principium Rationis Sufficientis Falsum Videri.

LOG Typ: section

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

perfectiones morales pro laudabilibus dicimus. At neminem laudem mereri, nisi in quo libere agat, neque vituperium ubi sine culpa sua vires ad agendum non sufficient, evidens est. Ita enim non machinae utiles, sed fabri, qui eas confecerunt, laudem merentur, neque homines laudamus ob cordis pulsuum, sanguinis circulationem cet., neque a brutis justa & honesta requiri mus, cum harum rerum, nullo suo vitio, ignara sint.

Cum igitur ostensum sit, & justa (§. 8. seqq.) & honesta (§. 12), quae utraque laude dignissima sunt (§. 6. n. 6.), sua natura ita esse, patet, nostra ex sententia moralitatem esse per se necessariam, vel ut dici solet, objectivam, & antecedenter ad voluntatem divinam cogitandam esse. Et nisi haec pertrahasseimus omnia, nequivissemus sperare lectores nobis credituros fore, justi, & aequi regulas non ex principio contradictionis & rationis sufficientis recte derivari, sed ipsas tamen indubias & fere primas menti humanae esse.



C A P V T. I I I.

PRINCIPIVM RATIONIS SVFFICIENTIS FALSVM VIDERI.

§. XV.

Dispositio.

Ambiguum esse principium rationis sufficientis, quod his comprehendi verbis solet: *Nihil est aut sit sine ratione sufficiente*, atque hac ambiguitate veri aliquid falso admiscere, communis illorum querela est, qui illi sese opposuerunt. Hoc cum nos pauca quidem scripta vidimus, sed tamen his satis

F

jam



jam depugnatum existimaremus, & nostram in eadem arena operam supervacuam esse, nisi & nova praesidia altera pars accepisset. Praecipui, credo, contra principium rat. suff. libri, duae illae dissertationes (*) sunt, quarum Celeb. HOLLMANNVS *Metaph.* §. 103. mentionem facit, quasque diu frustra quaesitas quod legere non ita pridem potuerim, ejusdem bibliothecae & favori deboeo. Hic etiam quaedam in illis jam dicta, sed non satis forte ab aliis audita, inutile non erit ad eam doctrinam repetere, a qua magna mala generi humano timenda videntur, nisi ejus, ut fit, in vita ipsa oblii sensum communem sequeremur. Ita vero, propter illam, quam initio diximus, principii ambiguitatem, in eo examinando versabimur, ut primum quis ejus sensus sit & quid veri habeat, deinde quid pro illo confirmando adferatur, denique quae contra illud moneri possint, paucis tradamus.

§. XVI.

Explicatio principii rat. suff.

Rationem sufficientem dicunt, unde intelligitur, cur aliquid sit aut fiat, potius quam non sit aut fiat, & quidem cur sit hoc modo non alio, eandemque determinantem esse, ut ill. LEIBNITZIVS vocavit, agnoscunt principii, quod ab ea nomen habet, patroni. Nec pluribus opus est ad ostendendum, eam etiam cogentem esse & necessitatem imponere. Cogit enim id, quod impedit, quo minus contrarium possit fieri. Idem & ratio determinans efficit. Quem fugit enim metaphysicorum canon, posito determinante ponи determinatum? Itaque illa verba: *nil est aut fit sine ratione sufficiente, hoc sibi volunt, nihil esse*

(*) Alteram cl. CHRISTOPH. LANGHANSEN *de necessitate omnium, quae existunt, absoluta in Theodicea Leibnitii asserta, Regiom. 1724.* alteram cl. CHR. AVG. CRVSIVS *de usu & limitibus principii rationis determinantis, vulgo sufficientis, Lips. 1743,* habuit.

esse aut fieri sine ratione cogente, vel si ita loqui, Fabro indignante, licet, sine causa necessitante. Ex hac explicatione omnia pendent, quae contra principium rat. suff. dicturi sumus, ideoque omnes rogamus, ut hic considerent, verene & bona fide sensum ejus dicti aperuerimus, an secus? Videtur autem nobis vel ex vocabulo *sufficiente* constare, necessarium esse, ut si ratio alicujus rei sufficiens sit, illa res propter hanc rationem nequeat non fieri. Nisi enim ex ratione illa effectus necessario sequeretur, quomodo quaeso ex eadem intelligi posset, cur potius sit effectus, quam non sit? cur hoc unico modo, nullo alio? Etiam alia via hoc ostendi potest. Seilicet, si ratio sufficiens effectum non redderet necessarium, posset aliquando rei alicujus esse ratio sufficiens, & res tamen ipsa non esse. Finge itaque rem ejusmodi non esse. Tum erit, secundum idem principium rat. suff., ratio aliqua sufficiens cur illa res non sit, potius quam sit. Et tamen sumebatur, esse etiam rationem sufficientem, cur eadem res sit. Ex quibus sequitur, si esset ratio sufficiens alicujus rei, nec tamen res ipsa esset, fore, ut ejusdem rei secundum principium rat. i. simul ratio sufficiens esset, cur res illa sit, atque ratio sufficiens, cur eadem non sit. Si vero ita comparata foret ratio sufficiens, quid ex ea demonstrari & intelligi possit, non intelligo.

Ingens autem est discrimin si dicatur: *nihil fieri*, atque si dicatur, *nihil etiam esse, sine ratione sufficiente.* Qui hoc enim adseverant, nulla alia re indigent ad demonstrandam, ex contingentia rerum mundi aliquam caussam, quam vel hoc unico, quod nemo negare potest, materiam aequa posse in quiete ac in motu esse. Quoniam enim, inquiunt, moventur magna mundi corpora, & sua tamen natura quiescere non minus quam moveri potuissent, evidens est rationem sufficientem hujus motus extra corpora ipsa quaeri oportere, & hanc Deum esse. Ita etiam ab omnibus, quae in mundo eveniunt, colligunt. Hi

igitur nihil curant, utrum coepert ille motus, an secus? At qui non nisi prius illud defendendum suscipiunt, non tam facili opera Deum esse evincunt. Nam quia de illis solis loquuntur, quae fiant, hoc sibi necessum reddunt, ut prius demonstrent, motus initium in mundo aliquando factum esse.

Utro autem modo principium rat. suff. accipiatur, cendum certe est, ne cum ratione, unde intelligitur *cur* aliquid sit, confundas eam, unde, *quod* illud sit, cognoscitur. Factam tamen aliquando est in demonstrationibus hujus nostri principii. Nec diffitemur interdum sine vitio confundi rationes illas & propriae haberi posse; ad veritates scilicet necessarias, quales mathematicae sunt. In his enim eadem re docetur, *quod* sint, atque *cur* illa sint. At longe aliter de rebus, quae vel factae sunt, vel fieri possunt aut potuerunt, judicandum est. Nam v. c. ex mutationibus mundi cognoscitur esse mundum, seu *quod* sit, at si mutationes illae ratio sufficiens mundi essent, quem Deum hoc pacto demonstrares? Ita quoque Anglos Gallis non amicos esse, multo plures rescire possunt, quam qui, *cur* ni sint, intelligunt.

Sed cogentibus rationibus, quae *cur* res sint, doceant, omnia constringi, nondum credimus, atque actiones liberas & morales exemptas illi fatali legi esse, cum vulgo iterum urgeamus. Id vero lubentes damus, quod etiam §. 6. n. 4. in primis fere mentis principiis habemus, *nihil fieri nisi ab aliquo*, & quidem ab eo, *qui satis ad id efficiendum virium habuerit*. Alii eodem sensu, *nihil sine caussa fieri*, hoc unum concesserunt. Unde & jure Cicero Epicurum judicat a physicis irrideri meruisse, quod dixerat atomos non intelligentes deflecti a motu recto sine caussa externa incepisse. Nihil vero impedit, quo minus id sine coactione agentis fiat, *quod ab aliquo agitur aut fit*.



§. XVII.

Crusiana explicatio principii rat. suff.

Cel. C. A. CRVSIVS in diss. de usu & limit. pr. rat. suff, illis velificaturus credo, qui hoc principium ditissimum cognitionis humanae fontem laudarunt, decem propositiones mirabore inde elicuit, atque, ut nostra philosophantur tempora, quo brevius & obscurius loqui possis, singulis nova nomina & metaphysica imposuit. Veras omnes, praeter unam ultimam, judicat. At duas si exceperis, primam & decimam, reliquae nostro qualicunque judicio omitti potuissent, cum partim mera sint conjectaria, partim alienae, partim minus etiam verae videantur. Sed nequid tanto viro, qui vel adsensu nostro, vel dissensu, cur moveatur, caussam non habet, temere tribuamus, singula ut persequamur, necessum est.

Prima propositio haec est §. 20. diss. cit. quicquid existere incipit, illud oritur ab alio ente, quod producendi hoc sufficientem habuit potestatem, & in actu constitutum nec impedimentum fuit. Hac etiam omne id exhaustum diceremus, quod in principio rat. suff. veri continetur, nisi ad solas res, quae oriuntur, regulam restrinxisset celeberrimus Philosophus. Est vero eadem omnium mutationum ratio, etiam earum, quae translatione rerum, quae jam sunt, nec esse incipiunt, peraguntur. *Decima*, quam merito damnat cel. CRVSIVS ita habet §. 41: *Omnem caussam agentem, ad agendum, nec non ad sic & non alter agendum prorsus determinatur, ita ut sub iisdem circumstantiis actionem non omittere vel aliter dirigere possit;* de qua, quod moneamus, nihil habemus, nisi quod ex decem Crusianis propositionibus non sola falsa videatur.

Quintapropositio: quicquid non est actio prima libera, illud si oritur, a causa quadam efficiente ita producitur, ut positis iisdem circumstantiis aliter oriri, aut abesse non potuerit, §. 26.

et omnes leviter scripsi

vera



vera quidem est, sed non nisi consequiarum ex prima & ex principio contradictionis. Evidens enim est, si causa efficiens non sit libera, eam esse non liberam i. e. coactam & necessitate du-

ctam.

Alienae, licet verae, sequentes videntur.

Prop. 4. §. 22. Nihil est vel fieri potest, nisi quatenus rebus coexistentibus, quae simul ponuntur, non contradicit. Ex principio contradictionis hoc manifeste sequitur, sed quid ad principium rat. suff. faciat, non percipio.

Prop. 6. §. 29. intellectus humanus nil judicat verum, nisi ob nexus cum tribus istis () summis principiis clare vel obscure perceptum, saltem imaginarium.* Haec non modo nos propter aliquam causam convinci, sed & propter quam convinca-
mūr, docebit; partem itaque psychologicae experientiae huic admiscet principio. Quod si imitandum in aliis etiam rebus es-
set, novis propositionibus monendum foret, neque affectus si-
ne magno boni & mali sensu, neque novum motum materiae
mortuae sine impulso, neque sonum sine aeris commotione,
neque colores sine luce cet. existere, & nescio quis deum fi-
nis harum propositionum futurus esset.

*Prop. 7. Veritati studendum, ejusque impedimenta sollici-
te removenda sunt. §. 30. diss. cit. Prop. 8. Non nisi ratione*

5

(*) Tria summa principia secundum Cel. CRVSIVM haec sunt. vid.
diss. de usu & lim. p. r. f. §. 27. 1) quae non separari possunt cogitatione, non separari possunt re ipsa, dummodo utrumque sit positivum quiddam, etiam si non oriatur contradictionis. 2) quae non conjungi possunt cogitatione, non conjungi possunt re ipsa, etiam ubi non oritur contradictionis. 3) principium contradic-
tionis: nihil posse simul esse & non esse. Primum appellat prin-
cipium inseparabilium, secundum inconjungibilium, utrumque vero, si modo recte intelligantur, una thesi contineri: incredibilia esse falsa, & hinc principium contradictionis uno intercedente syllogismo derivari, supra §. 4. §. ostendere voluimus.

Et legi congrue, sive prudenter & juste agendum est. §. 31. Prop. 9. In nulla propositione tanquam vera acquiescendum est nisi vel ob clare cognitam demonstrationem, vel ob perceptam obligacionem ex perfectione Dei aut nostrae essentiae fluentem, & secundum cognitionem hanc ubique prudenter & juste agendum est. §. 32. Has tres morales regulas in principio rat. suff., quod adfimat, non praecipit, quis quaereret? In 8. etiam & 9. propter ea, quae Cap. II. diximus, veremur, ne verus justi & obligationis sensus non tradatur. Denique quid nona prop. aliud sit quam repetitio propositionis 7. & 8, paullo aliis verbis facta, fateor me non intelligere.

Sunt vero harum propositionum aliae quoque, quas non modo a principio rat. suff., sed etiam a veritate ipsa, satis remotas crediderimus, secunda videlicet & tertia, quae docent: *cujus non existentia cogitari potest, illud aliquando non fuisse*, atque: *nullum ens esse necessarium, nisi cuius non existentia cogitari non possit*. §. 21. Haec enim si vera forent, ipsam aeternitatem Dei tollerent. Nam cum non esse, cogitarunt omnes athei, curni ergo & hoc nos cogitare, ut falsa alia mente reputamus, possemus? Per se etiam nil magis difficultatis habet Deum existimare, quam mundum, aliquando ortum esse. Quam eniū contradictionem hoc parit, ut mundi caussa ab alia denuo, aeonum Gnosticorum more, procreata fuerit, licet hoc sine argumentis credere stultum sit, & quibus Deus ipse certiora revelavit, etiam impium. Secundum haec vero cel. CRVSII praecēpta, quoniam cogitari hoc posset, verum quoque esset, Deum aliquando non fuisse. Neque haec tamen conjectaria viro religioso imputari posse satis patet, quae theses modo, unde oriuntur, falsitatis arguunt. Videtur vero cel. CRVSIVS argumentum *a contingentia* perdere noluisse, ideoque illud, cum ferre principium rat. suff., cui toti innititur, non posset, ita immutare aggressum esse.

§. XVIII.



§. XVIII.

Principium rat. suff. non demonstratum esse.

Multa pro principio rat. suff., quae magnam speciem habent, a viris eruditis dicta sunt, sed & medioeria multa, adeo ut & omnia fere, quae in usum vel lusum ontologicum concinnata sunt, excitata crederes, ut illi essent praesidio. Quae ad nostram cognitionem pervenerunt, breviter referemus.

1) Ill. LEIBNITZIVS demonstrare illam thesin, cui tantam doctrinae molem imposuit, non tentavit, satis per se illam concedi ab omnibus & manifestam esse ratus. Fateor etiam illum, qui lanceam staterae deprimi vel aliam quamcunque mutationem contingere viderit, hoc sine causa fieri negaturum fore. At non majorem tamen hujus principii partem ut concedat, opus habet, quam supra (§. 16.) concessimus: *omnem mutationem fieri a causa satis ad hoc valida*, quae simul vero potest nec cogens esse nec coacta e. g. in persuasionibus.

2) Ill. WOLFI primam demonstrationem cel. BAVMEISTERI verbis, quae & primam de principio hocce dubitandi occasionem nobis dederunt, referemus: *Ponamus aliquid esse sine ratione sufficiente, tunc cur aliquid existat, concipi & intelligi debet ex nihilo.* Adeoque τὸ nihilum existet, & non existet simul. Existet, quia existentia alterius rei ex nihilo concipi debet, sive, quod idem est, quia alteri rei τὸ nihilum existentiam largitur; non existet, quia est nihilum. Cum vero impossibile sit, ut aliquid simul existat & non existat - - - E. nihil est sine ratione sufficiente. cl. BAVMEISTERI Metaph. §. 32. Omnia autem in ambiguum usum vocis nihil resolvuntur. In communi sermone illa vox negans est & per compendium dictionis pro non & aliquo ponitur v. c. nihil est in hac re veri i. e. non est aliquid veri in hac re. At philosophi peculiari definitione alium significatum nihil tribuerunt, ut si id, quod opponatur alicui. Hinc affirmativa illis propositio est: τὸ nihil

nibilum largitur rei existentiam. Iam cogita, qua ratione argumententur. Sumitur, esse quid sine ratione sufficiente atque inde colligitur, id ergo rationem habere in nihilo. Hoc sequitur, si vocem ex usu loquendi interpreteris, & sensum tunc negando exprimere oportet: *Ergo non habet rationem in aliquo.* Non itaque adfirmatur rationem suff. esse in τῷ nihilo, sed negatur solummodo eam in aliquo esse. Id vero cl. BAVMEISTERVS secundum definitiones philosophorum intelligit, atque pro illa propositione, hanc longe aliam, tanquam eandem, substituit: *habet rationem in τῷ nihilo ipso & τὸ nihilum largitur illi existentiam.* Quodsi autem jam initio illam loquendi formulam ita intelligere vellet, negare concludi posse: A est sine ratione sufficiente E. habet rationem suff. in nihilo. Sic enim necessum foret, ut jam antea sumeretur (quod tamen negatum erat) illud A habere rationem, illamque ideo, si in aliquo non sit, in nihilo quaerendam esse. Ego contra urgebam, A rationem prorsus non habere, neque in aliquo, neque, quod patet absurdum fore, in τῷ nihilo. Quae cum eodem fere modo a cel. LANGHANSEN & cel. CRVSIO jam monita sint, atque paralogismus ille a multis etiam principii hujus amicis agnitus fit, mirari convenit, recentius quoque cel. ALEX. GOTTL. BAVMGARTEN *M. taph.* §. 20. & in *praef. tertia* voluisse hunc demonstrandi modum adoptare & defendere. Verba paullulum mutavit, sed ita, ut eadem de nihilo maneat responsio. Sic ille §. cit. *Omne possibile aut habet rationem, aut minus.* Hoc concedimus. *Si habet rationem, aliquid est ejus ratio.* Fatalemur. *Si non habet, nihil est ejus ratio.* Hoc, si sumitur vox nihili secundum usum loquendi, ut de omni aliquo neget, adfirmamus; si usu metaphysicorum, ut subjectum propositionis adfirmantis fiat, negamus hoc consequi. Utitur autem Vir celeberrimus voce illa more metaphysicorum. Nam subjungit: *Si nihil foret ratio alicuius possibilis, foret nihil aliquid,* quod alio-

alioqui consequentia careret. Imitationem in praefatione tertia, qua falsissimam thesin: *omne possibile habere extensionem, eodem modo aliquis demonstrare tentaverit, infelicem hic auctor judicat, nos vero satis adcuratam credimus.* Ipsius verba exscribemus: *Omne possibile aut habet extensionem, aut minus.* CONCEDO, inquit. *Si habet extensionem, aliquid est ejus extensio.* CONCEDO. *Si non habet, nihil est ejus extensio.* CONCEDO. *Si nihil foret extensio alicujus possibilis, foret nihil aliquid.* Hic Rhodium esse, hic caute saltandum, monet, ut eadem evidenter hoc efficiatur, qua de ratione sufficiente thesin huic respondentem se evicisse arbitratur. Et vera quidem jubet Philosophus celeberrimus. Neque enim haec imitari possumus, nisi quod Logici dicunt, saltum in demonstrando faciamus. Est vero imitatio ipsa facillima. Diceremus namque, *extensio, & quidem alicujus possibilis, ut sit aliquid, necessum esse,* deinde τὸ nihilum esse extensionem alicujus possibilis secundum concesta, ergo τὸ nihilum esse aliquid. Facile vero aequivocatio vitaretur, si placeret, quod & magis latinum foret, ita haec eloqui: *extensio alicujus, vel ratio sufficiens alicujus, NULLA est.* At, quod satis dolere non possumus, & hic deprehendiunus, metaphysicos aliter loqui, ac alii homines solent.

Unicum addere juvat exemplum, quo pateat, hac ratione quidlibet fingi & demonstrari nullo negotio posse. Librum imponas mensae, ut oculorum iudicio scias eodem illum loco manere. Demonstrabo tamen ablatum esse. Scilicet. Aut aliquis abstulit, aut nemo. Fac neminem abstulisse. Ostendam absurdum inde sequi, atque hoc relinquere, aliquem abstulisse librum. Nam si nemo abstulit, nemo etiam est. Quomodo enim auferre posset, qui ne ipse quidem esset? At ὁ nemo vi naturae suae non est. Sequeretur ergo hunc neminem & esse simul & non esse. Egregia sane methodus, qua vereor ne vere effici possit, ut doctus sis, nec doctus tamen es! 3) Aliam

3) Aliam argumentationem ex ill. WOLFIO adferunt cel. LANGHANSEN & cel. CRVSIVS: *Si A & B idem essent, tunc, ubi quid sine ratione sufficiere posset, mutationem in A fieri posse, quae in B non fiat.* Refutarunt id iudicem facili response, hoc repugnare notioni identitatis, licet ob rationem sufficiens nullam gignat contradictionem.

4) Nova ratione primam ill. WOLFII demonstrationem alii immutarunt. Dixerunt res, quae sunt, oportere ab aliquo posse concipi, cum a nihilo nequeant, nisi nihilum existat ipsum. At illud, ex quo concipi res possit, ejus rationem sufficientem esse. Cel. WEDEL & cel. CARPOVIVM in dissertt. de princ. rat. sufficiens, hujus argumentationis auctores refert cel. CRVSIVS, in laepe laudata diff. de usu & lim. pr. r. / Neque tamen aliud agere videntur, quam priori aequivocationi nihil, novam vocis concipi addere. Nam & illa formula loquendi: *res potest ab aliquo concipi*, duplē sensum patitur, qui a scopo proflus alienus est; alterum, posse rem illam ab aliqua mente intelligi, alterum, habere rem illam ea, quae intelligi possint, scil. praedictata. At quis non videt neutro modo rationem sufficiens esse id, ex quo concipi res fingitur? Neque enim homo mundum esse intelligens, neque praedicata mundi, unde eum esse intelligitur, pro ratione mundi sufficiente a quoquam habentur. Quodsi vero ita verba explicitur, ut hoc significant, *res omnes oportere ab aliquo TANQVAM A CAVSSA COGENTE VEL RATIONE SVFFICIENTE concipi*, tunc non minus manifestum est, initio sumi illud, quod ipsum demonstrandum erat. *Quanta vero ex nihilo nasci nostra tempestate non possunt?*

5) Alii ita ratiocinantur: *Nuda rei possilitas ad existentiam veram non sufficit.* Fatemur. Ut ergo aliquid vere existat, praeter nudam possilitatem amplius quid requiritur. Et hoc fatemur. *Id quod praeter rei alicujus possilitatem requiritur, ut res aliqua, in se possibilis, vere existat, existentiae ejus*



eius RATIONEM, & quatenus sufficit, ad existentiam ejus veram & realem inde intelligendam, rationem ejus SVFFICIENTEM vocamus. Vellemus ut id quoque concedere potuissimus. At nobis videtur, id quod praeter possibilitatem requiritur, ut res sit, esse id, quod existentiam constituit h. e. esse ipsam, ut dici solet, *actualitatem s. existentiam*, quae vero ratio sufficiens sui appellari non potest. Ita, ut mundus sit, sufficit illum praeter possibilitatem etiam actualitatem habere, atque ex illa actualitate, ex actionibus & passionibus mundi, sufficienter intelligitur mundum esse; at existentia mundi non appellatur ratio ejus sufficiens, quae doceat non modo esse mundum, sed in primis *cur* sit. Quodsi igitur eadem methodo evictum fuerit, praeter possibilitatem & praeter existentiam etiam aliud quid in omnibus iis, quae sunt, requiri, ut vere sint, & hoc ipsum *tale quid esse*, quale rationem sufficientem vel causam cogenitem appellare solemus, fatebimur & illam, quae subjungitur, conclusionem veram esse: *res ergo omnes vere existentes, rationem sufficientem habere debere.*

Sequuntur CANTZIANAE quatuor demonstrationes ex viri celeberrimi *Ontologia polemica* Cap. V. §. 32-35.

6) *Ratio est notio antecedens, ex qua, sive ab hominibus, sive a Deo, intelligitur notio consequens.* At quis Deum vel divinam creationem, quae mundi ratio habentur, notiones esse dixerit? licet de iis notio formari mente possit. Deinde, possunt praedicata mundi esse illud, ex quo mundum esse, tanquam consequens ex antecedente, intelligatur. Et tamen praedicata illa non rationem constituunt, unde intelligitur, *cur* mundus sit, sed *quod* sit; quae ne confundantur, superiori §. rogavimus. *Si quid igitur sive possibile est, sive existit, sine ratione: tum nec Deus, nec homines, quare res possibilis sit aut existat, intelligunt, quod absurdum.* Sed quid quaeso inconvenientius, quam ex divini intellectus excellentia thesin illam demonstrare,

ex

ex qua demum evincendum erit *Deum esse?* Fateor vero in factis, a ratione sufficiente liberis, cognosci non posse cur *necessario* sint, neque enim ex necessitate, sed libere fiunt. Et absurdi quid illi rei inesse, non animadyerto.

7) *Ratio sufficiens ea appellatur, in qua nihil amplius requiras, ut inde intelligatur notio consequens.* Quid hic monendum sit, proxime n. 6. diximus. *Si quid igitur vel possibile est, vel existit sine sufficiente ratione: tum notio quaedam consequens sufficienter intelligitur, et si adhuc desiderentur ea, quae ad sufficientem intelligentiam requiri possunt.* At qui hoc est contradictionum. Resp. Posset sufficienter intelligi rem esse, s. quod sit, non vero cur sit; atqui hoc non est contradictionum.

8) *Veritas est, quum ex subjecto determinatur praedicati natura, vel ex una propositione determinatur altera.* Credimus quidem veritatem esse convenientiam rerum cum nostris cogitationibus, sed si hoc daremus, patet tamen virum celebrem hic iterum de ratione demonstrante *quod* sit, non de efficiente, loqui. At ne quidem ex una propositione ad alteram priorem (quod etiam valeret, ubi ex subjecto determinatur prae dicatum, ita enim ratiocinio locus esset) perpetuus recursus est in cognoscenda veritate. Aliquando in primis subsistendum erit. vid. supr. §. 4. *Aut igitur id, quod ratione sufficiente caret, veritas est, aut non est.* Potest autem vere esse aut fieri, & tamen non veritas ipsa esse. Ita v. c. actio libera non veritas dici, sed tamen fieri fortassis vere, potest. Optarem ut potius ita Vir celeberrimus locutus esset: id, quod ratione sufficiente caret, vel vere fit vel non fit, atque ut hinc, si potuisse, aliquid absurdum elicuisse. *Si non est, tum, quod ratione caret, falsum est.* Actio vero libera nec veritas appellatur, nec falsitas secundum usum loquendi, & tamen vel vere illam fieri,

fieri, vel hoc falso credi, dicitur. Si veritas est, determinabitur vel ex subjecto vel ex alia propositione, habebit ergo notionem, ex qua intelligitur, antecedentem. Hoc ne quidem de primis veritatibus valere jam monuimus, nec minus ex dictis constat, non satis prudenter ab auctore addi i. e. rationem sufficientem. Haec enim a ratione demonstrante, quod aliquid sit, in rebus, quae fiunt, prorsus alia est. Utinam in hujusmodi abstractis condendis rationiis, in quibus alioqui labi per facile est, omnia statim ad exempla & quidem controversa, referre, eruditis placeat!

9) Omne possibile ex nonrepugnantia & harmonia praedicatorum judicatur. Verissime. Praedicata igitur illa sunt notiones antecedentes, ex quibus cur & quomodo aliquid possibile sit, intelligitur. Fateor, si praedicata non repugnantia prius spegetes; quemadmodum si possibilitatem priuum consideraveris, ex illa inverso ordine de praedicatorum convenientia, ut de consequente, judicare potes. Itaque omne POSSIBILE habet sive rationes sufficientes. Satis obscure dictum, nisi haec velimus addere: cur possibile sit, quibus additis concedere thesin possumus. Veritates enim necessarias, quales etiam sunt, quae de possibilitate rerum docent, rationes sufficientes habere, & quidem easdem ac rationes demonstrantes, fatemur; si modo primas veritates per se credendas exceperis, de quibus quod rationem suff. habeant, cur adfirmemus, nescio. Neque enim illarum rationem aliquam percipimus, neque in iis, quae sunt, causam semper requiri cur sint (e.g. in Deo & veritatibus ultimis), existimo, licet res, quae fiunt, causa agente carere nequeant. Pergit cel. CANTZIVS
Forte alia conditio est existentium? Minime vero! Credimus autem hac parte valde dissimiles esse. A posse ad esse, a possibilitate ad existentiam, omnium philosophorum calculo non valet consequentia; fatemur, sed quod additur, in rebus creatis, nec necessum fuisse existiamus, neque hujus loci. Nam etiam in rebus increatis, in Deo ipso, regula valet. Atque ad res crea-
 tas

tas praecepta restringere in demonstratione ejus principii, quo demonstrandum erit mundum creatum esse, vereor ne alii praeposterum judicent. Ergo aliquid amplius requiritur, quod praemitti debet, dum possibile existat. Illud, quod amplius requiritur, ut possibile transeat in existentiam, est notio antecedens, ex qua subsequens existentia intelligitur. Ergo simul est ratio sufficiens existentias. Ergo omne & possibile & existens rationem sufficientem habet. Q. E. D. Haec maximam partem ad ea redeunt, de quibus jam n. 5. diximus. Unum additur, id quod praeter possibilitatem requiritur, ut aliquid sit, praemitti debere existentiae, & notionem esse, quae eam antecedit. Quod unde collegerit vir celeberrimus, ignoramus. Nobis videtur, id quod requirebatur, existentiam ipsam esse. Ita v. c. in Deo, ut sit, nihil, praeter possibilitatem, nisi existentiam ipsam, requiro. Quando tamen, ut cel. auctor postinodum loquitur, possibile transit in existentiam i. e. quando res aliqua ortitur, quae antea non fuit, non negamus causam agentem antecedentem requiri. At hoc non credimus, ac si existentia ipsa hoc postularet, sed quia ortus postulat; non propter illum canonem: *la posse ad esse n. v. c.*, sed quia per se evidens est, vid. supr. §. 6. n. 4. Verum si ex his concessis aliquis demonstrabit Deum esse, prius inundum esse ortum monstraret, necesse est.

10) Ingeniosissima vero principii rat. suff. probatio illorum est, qui hanc exemplorum, ut dici solet, inductione tentarunt. Primum, corporum motus per rationes sufficientes fieri dicitur. Neque hoc negare, nisi qui commune in experientiam negare velit, quisquam potest. Vere omnia in corporibus necessitate fiunt & ex causis cogentibus. Deinde, *sensationes nostras per rationes sufficientes fieri*, cum alioqui possent liberae actiones animae censeri, nec de praesentia rerum externarum testari. Fatumur, sed non propter principium rat. suff., verum propter con-



conscientiam nostri, qua sensus in animam, cogentis in morem, agere sentimus. Atque haec interna experientia i. e. haec nostri conscientia, externa nullo modo incertior est. sed hujus etiam praecipuam partem & certitudinem omnem semper constituit. *Demum & repraesentationes omnes sequi rationes sufficienes, ergo & repraesentationes boni & mali, has vero sequi decreta voluntatis, de quibus hic unica fere controversia sit. Omnia itaque rationibus sufficientibus subesse.* Pleraque in cogitationibus & nos (vid. supr. §. 6. not. *) agnovimus necessaria & ex caussis cōgentibus dependentia, sed adtentionis actus, a coactione liberos affirmavimus, conscientia nostri ad utrumque ducti. Adtentio vero cum multa in repraesentationibus efficiat, has omni ex parte necessarias esse, nos quidem nos daremus. Contra & ordo cogitationum & judicia ipsa tam de vero & falso, quam de bono & malo s. de grato & ingratu, videntur nobis NB. interdum esse prorsus libera, nullique rationi cogenti *) obnoxia. Nam quando repraesentatio aliqua, necessitate memoriae vel sensuum, in mente excitatur, libera adtentione mox unam, mox alteram ejus partem breuius vel diutius reputandam suscipimus, cum & alias partes aequae reputare potuissimus. In abstrahendo itaque,

*) Satis autem ex §. 16. patet, nos hic non *coactum* appellare, quod voluntati agentis adversum sit, sed quod *ob caussas antecedentes a nobis demum diversas necessarium*, ideoque libertati oppositum est, vel consentiente & hoc exsequente ipsa voluntate. Si enim agis, quae vis, non potes autem aliud velle, quam quod vis; illae actiones, illa voluntas, libera dici non solet. Ageres itaque volens & tamen coactus. Hac autem re multis fucum fecerunt, fati cogentis patroni, quod libertatem, quae coactionem excludat, dixerint facultatem esse *agendi pro lubitu, vel ea agendi, quae placeant.* Simul enim docuerunt, propter rationum sufficientium seriem inde a creatione fuisse necessarium, ut nil aliud agere liberet, nihil tibi placere posset, quam id ipsum, quod agis pro lubitu & quia placet.

componendo, & meditando ordinem cogitationis arbitrarium,
 nec necessarium ulli menti esse, cum vulgo credimus, & senti-
 re in nobis ipsis videmur. *Judicia de vero & falso* necessaria
 tum esse concedimus, quando quid rite & evidenter demonstra-
 tum esse existimatur. In rebus vero probabilibus & dubiis, ubi
 in utramque partem argumenta adferuntur, vel unum credi vel
 alterum potest, immo neutrū quoque certum haberi, prout
 liberam adtentionem vel ad unum vel ad alterum adhibueris.
 Eadē est ratio *judiciorum de grato & ingrato*. Ubi in re qua-
 dam multa mala, nulla bona videris, adtentio non nisi ad ma-
 la illa verti potest, atque libertas nulla est. *Cogeris id unum*
 agere, malum vitare. Ita nemo manum temere in flamma te-
 nebit, ne tam utile corporis membrum magno dolore perdat, nul-
 lo inde sperato bono. At quando in eadem re & bona apparent
 & mala, quando bona opposita mente verso, tum sāne, si recte
 mei conscius sum, eodem tempore liberrime & nulla cogente
 causa possum alterutri oppositorum maiorem & diuturniorem
 adtentionem dare, vel utriusque aequalem. Si hoc fecero, ma-
 jus bonum judico, quod hoc mereri videtur. Si illud vero, ma-
 jus bonum judico ad quod magis attendero, sive hoc meritum
 sit, sive minus. Deinde si persistit judicium, idem exsequimur, at-
 que ita decreta voluntatis dicta a judiciis de bono & malo pendere,
 non iimus inficias. Ceterum adtentionis & moram, & vehe-
 mentiam, & objectum prorsus libere & sine coactione antece-
 dente a me constitui, atque hinc actiones illas, quas liberas
 dicimus, commissas omitti a me iisdem circumstantibus rebus
 potuisse, adeo mihi indebilis sensus & convictio videtur, ut
 hanc tollere vel dubiam reddere analogia certe reliquarum re-
 rum nequeat. Neque negamus adtentionem quoque interdum
 motiva sequi. Hoc sit, cum decernimus ut attendamus vel non
 attendamus. Tum autem deprehendimus nos initio ad motiva
 decreti hujus, sine praevio decreto attendisse. Adtentionem

H

itaque



itaque secundum motiva, sed & sine motivis, mutari posse, atque mutari, non incerta nobis videtur experientia.

Multae demum veritates etiam in medium proferri a principii hujus statoribus solent, quas ne cum principio ipso perdamus, verentur. Paucis & illas attingemus, quo pateat, amissa hac hypothesi philosophica, vel nullam nos jacturam pati, vel talem, ut aequo animo ferri possit. Sublato igitur principio rat. suff. creditur

11) tolli differentiam inter veritatem & somnium, quia in somnio omnia fiant sine ratione, quod cel. THVMMIGIVS Inst. Phil. Wolf. ontol. §. 10. adfirmat. Non verba captabo auctoris, unde forte quis colligat, si in somnio omnia fiant sine ratione, multa sine ratione fieri. Nam non fiunt in somnio, quae ita videntur. Discerni autem somnia a sensationibus facilissime ea re posse, quod harum perpetua inaneat conscientia, illorum vero mutetur, ubi evigilaveris, supra §. 6. n. 2. monuimus.

12) sequi, omnia casu & fortuitu fieri. Primum vero non omnia sine caussis cogentibus evenire diximus, sed liberas actiones solas excepiimus. Si vero & omnia coactione carerent, non tamen casui tribuenda forent. Fortuitu enim fieri dicimus, non, quae sine caussa, sed quae sine intentione fiunt *). Ita si de tecto lapis, vel venti actus vehementia vel e negligenti manu elapsus, in caput subeuntis decidat, lapis certe necessitate eo pellitur, at fortuitu illud caput adtigisse dicitur, quoniam hoc sine ullius intentione factum est. Contra, actiones liberae, quae

inten-

*) Ita CAES. de B. G. lib. 7. c. 20. non haec omnia fortuito, aut sine consilio, accidere potuisse. Ita & CICERO orat. Philipp. 10: 2. quod verbum tibi non excidit fortuitu. Atque eundem CICERONEM div. I. 2. c. 6. male, ut alias saepe fecit, fortuita ita definiisse, ut sint quae nihil habeant rationis, quare futuras sint, vel exempla illa docent, quae eum locum proxime antecedunt; scil. ex morbo evasurum aegrotum, aut periculo navem, aut ex insidiis exercitum. Haec enim omnia non causis suis carent, verum ab intentione eorum, quibus accident, non dependent.

intentionem sequuntur, licet coactae non sint, casu tamen edi non possunt.

13) *Actiones imputari auctori non posse, si earum, rationes sufficientes in se non continuerit.* Sed non requirit hoc imputatio, ut quis actionis alicujus causa coacta judicetur, verum maxime ut libera. Non machinis solemus earum actiones imputare (*zurechnen*), sed attribuere (*zuschreiben*), neque mihi imputabitur, si propterea, quod pulsus sum ab alio, alterum occurrentem e loco deturbavero, licet ratio sufficiens in me esset, cur hic loco depulsus sit. At, si quid fecerimus, quod omittere in nostra potestate fuisset, hoc est, si quid libere egerimus, illud demum vel laudi nobis, vel vitio verti & imputari solet. Ceterum per se constat, *actionem liberam* dici, non quod agente auctore possit non fieri, sed quod potuisse ab auctore omitti, atque adeo libertatem non in actione ipsa, sed in agente, esse.

14) *Tolli certitudinem sensuum.* Posses enim credere, *sensationes fortassis actiones liberas esse, nec a rebus externis necessitate effectas.* At eadem conscientia mei, qua sentio, quae-dam in me libere, sine ratione sufficiente & cogente fieri, eademi etiam, sensationes esse necessarias & coactas, meoque arbitrio non subesse, percipio. Credo itaque sensationes esse necessarias, quia has ita esse sentio, non quia *omnia* necessaria existimem; ideoque propter peculiarem experientiam, non vero propter principium rat. suff. Quodsi autem ita argumentari liceret, si quaedam sunt sine ratione suff. ergo *omnia* esse possunt, posses etiam concludere: Henochus & Elias mortem non subierunt, fortassis ergo nemo hominum mortuus est.

15) *Tolli poenarum efficaciam a malis absterendi, poenas enim non rationem sufficientem correctionis continere.* Quas-dam poenas adeo graves esse, ut necessitatem fere agendi impellant cogantque, & libertatem prope omnem adimant, fateor. Nec tamen inauditum est, gravissima tormenta, quae insuperabili-



lia crederes, non modo immobiles perpetuos esse homines, sed & ultro interdum expetiisse; ut Scaevola Romanus, & eorum permulti, qui martyrum nomen adepti sunt. Mitiores vero etiam poenas, propterea quia non ita cogant, nihil efficere non existimamus. Majora mala vel minori adtentione vitantur, licet & possimus magna pericula negligere. Ita poenae modicae peccatum difficilius reddunt, non autem impossibile. Atque haec difficultas multos eo perducit, ut libere non peccent. Simili bilancis exemplo, quod multis placet, utemur. Si puerum fingas alteram staterae lancem manu deprimere, poteris illum ne id faciat, permoveare, non modo si alteri lanci pondera injeceris, quae tolli a puero nequeunt, sed & si injeceris, quae aegre ab eo tolluntur. Brevi sane suo relictus ingenio, sponte definet, licet pergere posset. Vel aliam faciam comparationem. Unum lancium imponantur pondera praegravantia. Tum, si alteri leviora imponas, non tollunt graviora, nec tamen nihil efficiunt, cum, his impositis, minori labore manus hanc lancem possit deprimere. Ita & motiva ad peccandum minori jam adtentio superantur a motivis peccatum vitare jubentibus, ubi haec poenaruin accessione creverint. Sed vel minor haec adtentio illis subtrahi potest. Hoc itaque habet bilanx moralis, quo nomine liberum arbitrium intelligimus, a physica dissimile, ut in ea vel leviora momenta graviora tollant, quando nimirum ad illa magis, quam ad haec, adteraditur.

16) *Non posse ullo modo extra dubitationem omnem ponit, Deum ipsum esse.* Perit fateor cum hoc principio argumentum a contingentia ductum, at non simul omnia, quae mundi aliquem auctorem esse, evincunt. Quousque vero devenire tandem possit illud laudatissimum argumentum, accipe. Si contingens est, quod per se spectatum tam esse, quam non esse, sine contradictione potest, Deus ipse est ens contingens. Nihil enim contradictorii per se foret, ut Deus non esset, ut magis item aut minus excellens es-

set,

set. Id namque *per se* absurdum esse, nondum evictum vidi. Adversatur fateor argumentis, quae Deum esse docent, quemadmodum lunam non moveri, argumentis, quae hoc docent, adversatur; at non propterea magis contradictorium *per se* est, Deum non esse posse, quam lunam non moveri posse. Cum igitur argumentis credamus esse Deum, ut sit causa extra Deum, cur sit potius quam non sit, sequeretur, atque ita non Deum modo Dei procreares, sed & generationes Deorum plures, quam Gnostici finxerunt, eum in infinitum haec abire argumentatio possit. Deum vero esse, me imprimis convincit sapientissima hujus mundi constitutio. Ita enim ratiocinor. Sicut ibi in maris fundo, forte denudato, lapidum magnam reperires compagem in limo demersam, inque ea apte concamerata omnia, & aedium in formam, non quidem quales hae nostrae sunt, sed ita ut melius nihil ad habitationem hominis ex faxis marinis fingi posset & construi, crederesne *sine ullius consilio* undarum volutatione sensum haec congesta esse? Non arbitror. Licet enim contradictorium non sit, adeo tamen improbabile est, ut fidem omnem superet. Iurares itaque ista ab hominibus aedificata esse & terrae quodam motu in mare prolapsa. Quanto igitur magis cum in mundo universo non partem aliquam, sed omnia, maxima, minima, atque subtilia illa, quae non nisi magno studio & artificiofissimis instrumentis adsequimur, ita constituta deprehendimus, ut in sapientissimos fines, quorum alii aliis inserviunt, mirifice conspirent, ut vel maxima humana ingenia haec non imitari nedum excogitare valeant; quid quoquo stultius esset, quam haec stupenda artifacia credere ita vel ab aeterno vel aliquamdiu *sine omni mentis alicujus intentione*, sed casu & fortuitu, fuisse? Et nisi tam infinitorum testium consensu persuaderi tibi possit, sapientissimo alienus consilio mundum esse coaptatum, valde mirarer, qui possis tam exiguo, si ad hos referantur, testium numero, & quos singulos suspicio est fallere, aut falli potuisse, qui possis inquam his, ob eorum consensum,

certo credere, FRANCISCVM Germaniae Imperatorem esse, nisi ipsum videris audiverisque. Mentis igitur & naturae intelligentis, homineque longe sapientioris intentione & consilio omnia facta esse, omni caret dubio. Ipsae vero mundi materiae, quam brutam & sine mente esse omnis experientia confirmat, tribui illa intentio, illa sapientia, nequit, ideoque in alia quaedam natura a mundo diversa quaerenda est; & hanc Deum vocamus, quem simul sapientissimum, potentissimum, optimum cognoscimus. Et haec ipsa fides, qua Deum esse creditur, cum non cogenti demonstrationi, sed probabilitati, quantumvis maxima, inititur, aliquid libertatis atque adeo laudis, & moralitatis habet, animumque demonstrare potest creatoris colendi cupidum.

17) Nuper etiam speciosam hanc defensionem principii rat. suff. audire contigit, *sine illo principium contradictioni salvum esse non posse*. Nam si aliquid sit, & tamen rationem non habeat, cur potius sit quam non sit, nihil impedire, quo minus etiam non sit. Quicquid igitur sine ratione suff. fingatur, simul esse & non esse posse. Si quid vero rationem haberet cur sit & cur non desit, tum demum non posse non esse, quando sit. Videtur autem ita paucis responderi posse. In rebus, quae sine ratione suff. cogitantur, non quidecum ratio ulla suff. antecedens impedit, quo minus non desint, quando sunt; at ipsa existentia hoc impedit, efficitque, ut fieri id non possit. Existentia vero rei non est ejus ratio sufficiens. Alioqui a mundo ad Deum factorem nemo concluderet. Fatemur quidem, quae sunt, rationem suff. habere, unde intelligi possit, *quod* non desint. Haec enim in existentia ipsa ponit potest. At de hac non quaeritur, sed de ratione, *cur* sint? quamque requiri in iis omnibus, quae sunt, & in iis omnibus, quae sunt, neque ex existentia, neque aliunde, probari posse, nobis quidem videtur. Damus etiam, ea, quae rationem suff. habent *cur* potius sint, quam non sint, vere esse & non posse non esse. At propositionem hanc universalem adfirmantem in univ. adfirm. convertere ita non audemus: Ergo, quae sunt & non pos-

possunt non esse, rationem suff. habent, cur potius sint, quam non sint. Si facheremus enim, posset aliquis eodem modo ratiocinari: Quicquid corpus est, illud est; Ergo, quicquid est, corpus est.

§. XIX.

Quae contra principium rat. suff. moneri possint.

Praeterea vero, quod superiori §. ostensum sit, neque principium rationis suff. demonstratum, neque ullam philosophiae partem mancam sine illo, esse, quaedam etiam sunt maximi momenti, cur, ne unquam demonstrari possit, peroptabile videatur. Non quidem illi cum cel. CRVSIO diff. de us. & lim. p. r. s. §. 9. opponemus, peccatum Deo displicere non posse, quia in rebus, quas condidit, inevitabile sit, vel poenarum nullum usum fore. Nam & artifici incommoda instrumenti displicant, quae aut evitari ab eo nequeunt, aut majoribus aliis commodis compensantur. Et poenis vel sine libertate locum esse posse, ut rationi alicui sufficienti ad peccandum, fortiorum aliam opponant; quemadmodum in bilance pondera graviora leviora tollunt, satis ostendit Vir celeerrimus I. D. MICHAELIS in tract. von der Sünde §. 17. seqq. Verum tamen,

1) Cum caussis cogentibus & necessitantibus fatalem necessitatem omnibus rebus inferri evidens sit, sensus humanae libertatis everteretur, quo summa certitudine in communi vita asseveramus, actiones plurimas a nobis commissas potuisse aequa a nobis omitti, & in nobis solis, non in aliis veram esse causam curesceptae sint. Principium namque rationis sufficientis praesentia a praeteritis, ut motum rotarum in horologio a rotis prius motis, necessitate connectit, nostras itaque actiones veram in nobis solis rationem habere negat, sed ab illis rebus, quae ante nos fuerunt

runt, eas necessario pendere docet, hasque iterum res a prioribus aliis.

Majus huic dubio pondus non facile adjicere potero, quam si commemoravero cel. HOLLMANNVM, cum principium rat. suff. ipse amplectetur, hanc tamen objectionem insolubilem habuisse. Verba celeberrimi Viri ex Ejus Pneumat. §. LIX. exscribam. *Hic, libentissime fateor, scrupulos mihi quosdam adhuc haerere, quos removere adhuc nescio. Neque rationis enim sufficientis principium in dubium revocare, neque conciliare tam
amen illud cum hac ipsa, quam in me deprehendo, ad cogitandum
me determinandi facultate, hactenus possum. De eadem liber-
tate vero §. LVII. ita loquitur: Hujus facultatis, quando ad
nosmet ipsos modo adtendimus, adeo consci nobis sumus, ut, nisi
cum ipsa existentia nostra, negare illam temere haud queamus.*

Nec tolli haec difficultas iis responsionibus videtur, quod actiones hominum sint hypothetice, non absolute, necessariae, vel quod differri electio voluntatis, inelioris deliberationis causa, potuislet. Nam si hypotheses ipsae, atque dilatones decretorum, suis iterum reguntur causis cogentibus, & hae causae aliis aequae cogentibus, donec ad causam primam absolute necessariam, quemadmodum dicunt, perveniantur; patet, ob hanc primam causam reliquias omnes, ut in continuo rotarum connexarum ordine, aequae necessarias, hoc est, ut dici solet, absolute necessarias esse. Nihil itaque fieret, quod non absolute necessarium esset, & Deus ipse fato obnoxius foret. Quod ut illi honorificentius efficerent, sapientem & oculata m necessitatem quidam appellarent. Ad haec autem optime cel. CRVSIVS diff. de usu & lim. p. r. s. §. 7. sapientia igitur Dei, inquit, erit nosse necessitatem, cui ipse & omnia subfunt, & libertas ejus erit, determinari ad parendum necessitati. Ceterum, sive coecum, sive oculatum, certe fatum erit.

2) Mora

2) *Moralitas omnis, qua laudi aut vitio actiones duci aucto-
ribus possint, facta res foret & fallacia hominum.* cfr. supra
§. 14. Actiones liberae dictae, quonia[m] a caussis, quae ante
nos fuerunt, necessario dedenderent, non majorem laudem me-
reri possent quam cordis pulsus & sanguinis circulatio, quae et-
iam scientibus nobis & volentibus peraguntur. Verbo, actiones
liberae & naturales eadem laude, eodem vituperio, dignae fo-
rent, id est, nullc.

3) *Omnis nostrae actiones injustae & malae, Deo, ut ve-
rae caussae & primo auctori tribuendae forent.* Quicquid agi-
mus, rationem sufficientem vel necessitatem creditur in praes-
enti rerum ordine habere, hic rerum ordo in praecedenti ordine
rerum, & hic denuo in alio priori, donec ad creationem vene-
ris. Itaque creatio est prima caussa necessitans, per quam non
alia possunt in mundo fieri, quam quae sunt. Atque Deus de-
mum creator, omnium, quae eveniunt, bonorum, malorum,
caussa cogens & ultima erit. Actionum vero iustitia & hone-
stas cum necessaria sit, & a divina voluntate non dependeat
(vid. supra Cap. 2.), Deus, tot injustarum actionum auctor, ut
justus foret, fieri non posset. Ita non multum lucratur ex prin-
cipio rat. suff. theologia naturalis, cum ejus ope, qua facilitate
Deum esse demonstratur, eadem etiam Deum injustum esse effi-
ceretur.

Haec itaque sententiarum portenta, & quae omnia per in-
finitam consequentiarum seriem elici ex his poterunt, cum prin-
cipio rat. suff. defendenda sunt, toti de Deo & moribus doctri-
nae fatalia futura; vel si defendi, si approbari prorsus nequeunt,
hoc unum, nisi ine omnia fallunt, certum testatumque relin-
quent, principium rationis sufficientis ratione carere sufficiente.

T A N T V M.

Obs. Pag. 61, lin. 2. pro Adversatur, lege. Deum non esse, adversatur &c.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2010



QPCARD 201

